170

69/21

4170

Burgos Cozar

Cartas acias. fol. 44.

327
339

1649

# ACTA CONGREGATIONIS PROVINTIÆ HISPANIÆ

Ordinis Prædicatorum, celebratæ in Cõuentu Sancti Dominici de Benauente Dominica, *Deus qui errantibus*: die ſeptima Maij. Anni Domini 1645.

*SVB R. A. P. N. FR. DIDACO Lopez Magiſtro, ſanctæ Inquiſitionis Calificatore Prouintiali eiuſdem Prouintiæ.*

Año 1645

*Valliſ-Oleti*: Ex Typographia ſancti Pauli.

ACTA

# CONGREGATIONIS PROVINTIÆ HISPANIÆ

Ordinis Prædicatorum, celebratæ in Cō-
uentu Sancti Dominici de Benauente Do-
minica, *Deus qui errantibus*: die ſep-
tima Maij. Anni Domi-
ni 1645.

SVB R. A. P. N. FR. DIDACO
*Lopez, Magiſtro, ſanctæ Inquiſitionis*
*Caliſicatore Prouintiali eiuſ-*
*dem Prouintiæ.*

Año  1645

*Vallis-Oleti: Ex Typographia ſancti Pauli.*

# HAEC SVNT ACTA CONGREGATIONIS PROVIN-

tialis Prouintiæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorũ, celebratæ in Cõuẽtu Sancti Dominici Benauẽtani, Dominica *Deus qui errãtibus:* Die ſeptima Maij, Anni Domini 1645. ſub R. A. P. N. Fr. Didaco Lopez Magiſtro ſanctæ Inquiſitionis Calificatore, & Prouintiali huius Prouintiæ. Diffiniẽtibus RR. A. PP. NN. Fr. Dominico Sedano Præſentato, & Priore huius Cõuẽtus ſancti Dominici Benauentani, Fr. Raphaele Sanchez Magiſtro, ſancti Officij Calificatore, & Priore Sancti Pauli Vallis-Oletani, Fr. Ioanne de Eſpila Magiſtro & Regẽte Collegij ſancti Gregorij Vallis Oletani, Fr. Petro Rodriguez de Peramato Magiſtro ſanctæ Inquiſitionis Calificatore, & Priore ſancti Thomæ Matritenſi.

# Denuntiationes.

DEnuntiatiamus literas emanaſſe in forma Breuis ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Domino Iulio Roſpilloſi, ſedis Apoſtolicæ in his Hiſpaniarum Regnis cum poteſtate legati delatere, & Nūcius, tenoris ſequentis.

IVlius Roſpilloſi Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Tarſenſis, & Sanctiſsimi Domini noſtri Inocentij diuina prouidentia Papa, decimi; dictæque ſedis in his Hiſpaniarum Regnis cum poteſtate legati delatere, & Nuntius, IuriumqueCameræ Apoſtolicæ collector generalis. Ad futuram rei memoriam; quod á nobis poſtulat legationis noſtræ ratio, in eam curam libenter intendimus, vt omnes, & præſertim regulares perſonæ ſub ſuauiReligionis iugo Altiſsimo famulantes, quantum ipſo Altiſsimo adiutore fieri poterit ſemotis quibuſuis diſſenſionum, ſeu dubiorum altercationibus, ac materijs in ſincera pace, & fraternæ charitatis amenitate Chriſti fidelibus non modo verbo, ſed & exemplo prodeſſe cognoſcat. Sane pro parte dilecti nobis in Chriſto diſcreti viri Magiſtri Fr. Didaci Lopez officij ſanctæ contra hæreticam prauitatem Inquiſitionis Califiicatorij, & Prouintiæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum actualis Prouintialis necnon pluriumeiuſdem ordinis ſcientia, & experientia illuſtrium perſonarum. Fuit nobis nuper expoſitum quod alias conuocato de mandato fœlicis recordationis Vrbani Papæ Octaui in alma vrbe per Religioſos dicti Ordinis celebrando capitulo generaliſsimo, in quo præciſſe

duo

duo diffinitores ex ſingula quaque Prouintia, in capitulo, ſeu congregatione capitulari electi interuenire debent: Compertoque tunc per huiuſmodi Prouintiæ Religioſos capitulum huiuſmodi, ſeu capitularem congregationem iuxta laudabiles prædicti Ordinis conſtitutiones, & Acta capitularia, ſeu concordiam Apoſtolica authoritate confirmatam non niſi in Dominica *Deus qui errantibus* anni milleſsimi ſexcenteſsimi quadrageſsimi quinti celebrandã eſſe, & deſuper pro oportuno remedio ad eminentiſsimnm ſanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Pancirolum tunc in his Regnis Nuntium prædeceſſorem noſtrum, & neceſſaria anticipatione ad effectum celebrandi congregationem habito recurſu vt in illa ad interueniendum in dicto generaliſsimo capitulo in Dominica Pentecoſtes, anni proxime præteriti milleſsimi, ſexcenteſsimi, quadrageſsimi quarti indicta alma vrbe celebrando Diffinitores prouide eligerentur; cognitaque ab eodem eminentiſsimo Cardinali deſuper oblatæ petitionis iuſtitia, & neceſsitate; habitaque matura de iuris peritorum conſilio deliberatione impertita fuit licentia in hac curia, ſeu in alio bene viſo loco congregationẽ celebrandi, alias iuxta conſtitutiones Ordinis in dicto Conuentu ſancti Dominici de Benauente in dicta Dominica, *Deus qui errantibus*, anni præſentis 1645. Celebrandam ad hunc effectum tantum videlicet eligendi Diffinitores pro celebratione capituli generaliſsimi in qua congregatione electi fuerunt alij quatuor Diffinitores Prouintiales, qui vna cum Prouintiale teſtimoniales literas iuxta conſtitutiones dicti Ordinis ſubſcribere, ſubſignare, & ſigillare cõſueverunt pro duo-

bus Diffinitoribus capituli generaliſsimi. Cuius tan dem licentiæ vigore conuocatis, omnibus ſuffragiis alias de iure, & iuxta dicti ordinis conſtitutiones ad dictum effectũ conuocandi in Conuentu ſanctæ Mariæ de Atocha, prope, & extra muros huius opidi Matriti electi fuerunt ſoliti, & conſueti Diffinitores, & alij duo pro dicto capitulo generaliſsimo; & in huiuſmodi cōgregatione Prouintiali tunc cepta, & ad huiuſmodi effectum dumtaxat. Cũ autem ſicut eadẽ expoſitio ſubiungebat de præſenti anno in prædicta Dominica, *Deus qui errantibus*, in dicto Conuentu ſancti Dominici de Benauente, celebranda, ſeu potius continuanda ſit congregatio vt petitur cepta, & anticipata ad reliqua officia, & munera in ſimilibus congregationibus per agi, nominari, & deputari ſolita, & conſueta vſque inde anno proxime præterito vigore petitæ licentiæ per præmemoratum, & eminentiſsimum Cardinalem Pancirolum conceſſæ ad ſubterfugiendum quaſcumque deſuper forſam exoriundas controuerſias, & altercationes, pro parte eiuſdem Magiſtri Prouintialis nobis fuit humiliter ſuplicatum quatenus in præmiſsis de benignitate Apoſtolica oportune prouidere, ac alias ceptam congregationem in Conuentu de Atocha vnam & eandẽ eſſe quæ nouiſsime in Conuentu ſancti Dominici de Benauente cælebranda eſt, & continuari debet, ita vt ijdem quatuor Diffinitores tũc electi in nouiſsime celebranda, & continuanda congregatione interuenire hoc titulo, & authoritate debeant perinde, ac ſi in ipſa nouiter celebranda, & continuanda congregatione pro nunc electi fore declarare, & decernere dignaremur. Hos igitur huiuſcemodi vo

tis

tis quantum in Domino poſſumus pro felitiori di-
ctæ congregationis ſucceſſu, & Prouintiæ tranquili
tate benignae annuere, ipſamque Prouintiam, & regu
lares perſonas gratioſo fauore proſequi vollentes,
& a quibusvis ex communicationibus, ſuſpenſioni-
bus, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, &
pœnis â iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel
cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtũt
ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum
harum ſerie abſoluendos, & abſolutos fore cenſen-
tes. Huiuſmodi ſuplicationibus inclinati, ac ſufficiẽ
ti ad id facultate muniti, ne exinde tan ordini, quam
Prouintiæ vllo vnquam tempore, nec minimum tã
in ſpiritualibus, quam in corporalibus reſultet con-
trouerſiæ, ſeu altercationis obſtaculum tenore præ-
ſentium, & ex officij noſtri, & Apoſtolicæ nobis in
hac parte conceſſæ poteſtatis plenitudine, & ex præſ
ſe decernimus, & declaramus nouiſsime celebrandã
in Conuentu ſancti Dominici de Benauente per hu-
iuſmodi Religioſos Dominica, *Deus qui errãtibus*,
congregationem vnam, & eandem eſſe, & intelligi
debere cũ alias cepta de prædicti eminentiſsimi Car
dinalis licentia in Couuentu de Atocha, illamque
continuari cenſemus cum interuentione dictorum
quatuor Diffinitorum alias vltimo electorum; quos
& vt legitime electos, & creatos pariter declaramus,
& ad huiuſmodi effectum, & cautelam, & quatenus
opus ſit eadem authoritate confirmamus, & aproba
mus, ſeu de nouo eligimus, creamus, & deputamus;
omneſque, & ſingulos tam iuris quam facti defectus
(ſiqui deſu per quomodolibet interuenirent) eadem
authoritate ſuplemus; diſtricte præcipientes omni-
bus

bus,& ſingulis dicti Ordinis Religioſis, ſeu alijs ad quos quomodolibet expectat,& pertinet, ſeu in futurum expectare & pertinere poterit, ne ſub vtriuſque vocis,& officiorum, & munerum priuationis, inhabilitatiſque ad illa,&ad alia de cætero obeunda, & obtinenda,necnon ex communicationis maioris latæ ſententiæ ipſo facto incurrẽda alijſque arbitrio noſtro pœnis infligendis: ipſos Diffinitores in libero vſu, & fruitione omniũ,& ſingularum huiuſmodi officij, & dignitatis præeminentiarũ præuilegiorum,&exemptionum quouis ad id quæſito colore, prætextu cauſa, vel ingenio moleſtare, perturbare ſeu inquietare audeant, ſeu preſumant, aut quilibet illorum audeat, ſeu præſumat non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,necnõ ordinis, ſignanter diſt. 2. cap. 9. De ſolemni celebratione capituli qua ſançitur expreſſe authoritatem dictorum diffinitorum ad decem dies tantum durare. Et alia cap. 5. De electione diffinitorum capituli Generalis,& Prouincialis qua pariter ſancitur non poſſe eoſdem Diffinitores in duobus immediate ſubſequentibus capitulis reeligi, vel diffinire, ac Prouintiæ prædictorũ in Generalibus, aut Prouintialibus, alijs ve capitulis, & congregationibus *editis* ſtatutis,& Actis iuramento,confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis,& in nobatis conſuetudinibus quoque,& indultis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Matriti Toletanæ Diocæſis, anno Domini 1645. ſexto idus Aprilis Pontificatus ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ, Anno 1.

*Iulius*

# *Iulius Archiepiſcopus Tarſenſis Nuntius Apoſtolicus.*

ITem denuntiamus vacante Magiſterio generali Ordinis, in capitulo generali celebrato Romæ, in vigilia Pentecoſtes anni proximè præteriti 1644. fuiſſe electum in Magiſtrum Ordinis ſumo fere omnium conſenſu Reuerendiſsimum P. Fr. Thomam Turco Cremonenſem ſacræ Theologiæ profeſſorem, & totius Ordinis in alma vrbe generalem Procuratorem. *N gi Ele mi*

Item denuntiamus in eodem capitulo generali fuiſſe ad petitionem huius noſtræ Prouintiæ acceptatum Conuentum del Roſario de Madrid ſub his verbis: Acceptamus Conuētum noſtrum ſanctæ Mariæ Conceptionis del Roſario Matritenſis ſecundū formam noſtrarum conſtitutionum. Et Patronatum illuſtriſsimi Domini Domini Octaui Centurionis Marchionis de Monaſterio, & volumus eum libere potiri, & gaudere omnibus præuilegijs quibus huiuſmodi Patroni de iure, vel approbata conſuetudine potiri, & gaudere cōſueuerunt: quem etiam commendamus vtpote de noſtro Ordine maximè benemeritum. *Acceptatio Conuētus del Roſario de Madrid.*

Item denuntiamus in capitulo generali Romæ 1593. ſtatutum fuiſſe deffinitores capitulorum Prouincialium ſtatim vt electi ſunt locum tenere ſuper omnes fratres. Inter ſe autem ſecundum ordinem graduum, vel conuentuum antiquitatem, quorum ſunt prælati. Et poſtea in capitulo Venetię 1596. ad-



ditum,

ditum, & declaratum eſt quod nullo pacto detur primus locus Priori Conuentus in quo capitulum celebratur ſi diffinitor fuerit niſi alias cauſa Magiſterij honoratior locus ei debeatur. Quas ordinationes hæc noſtra Prouintia in ſuis capitulis Prouintialibus acceptauit olim, & modo ſi neceſſe eſt denuo acceptamus eas decernentes executioni mandari, non obſtantibus quibuſcumque, &c.

Item denuntiamus à Reuerendiſsimo P. N. Magiſtro generali circa reſidentiam Prædicatorum generalium in proprijs conuentibus tenoris ſequentis.

Ex fideli naratione R. A. P. Prouintialis, & RR. A. PP. Diffinitores noſtræ Prouintiæ Hiſpaniæ; nouimus in illa Prouintia non poſſe obſeruari ordinationem illam capituli Romani præcedentis qua præcipitur vt prædicatores generales reſideant aſsignati in illis Conuentibus pro quibus ſunt inſtituti alioquim vocem non habituri in capitulo Prouintiali. Et quia graue valde eſſet præfatæ Prouintiæ debere per ſingulos capitulos obtinere diſpenſationē ſpetialem dictæ ordinationis, vel ea non obtenta carere vocibus Prædicatorum plurium generalium in ſuis electionibus Prouintialium. Ideô de remedio opportuno prouidere volentes per præſentes noſtri authoritate officij committimus R. A. P. Prouintiali pro tempore illius Prouintiæ, vt quoties opus fuerit, & prout ſecundum Deum iudicare, vt expedire poſsit in præfata ordinatione diſpenſata, quam diſpenſationem ex nunc pro tunc aprobamus effectumque volumus ſortiri in cuius fidem has noſtras literas ſubſcriptas nomine proprio ſignari iuſsimus

ſigillo

ſigillo noſtri officij. Dat. Rom. In noſtro Conuentu Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam 29. Maij, anni 1644.

Ita eſt.

*Fr. Thomas Turcus Mag. Ordinis.*

Regiſtrata fol. 10.

*Fr. Franciſcus Bartholinus Magiſter, & Secretarius.*

## *Abſolutiones.*

ABſoluimus omnes Suppriores, & Vicarios Cõuentuum non habentiũ Priores, exceptis Suppriotibus de Toledo, de Panplona, Medina del Campo, Logroño, Rojas, Auila, Talabera, Villa eſcuſa, ſancti Thomæ de Madrid, Ciſuentes, quia nuper inſtituti ſunt, & Suppriotibus de Ocaña, de Victoria, de Huete, de Azpeitia, de Tudela, propter inſtantes electiones, vſque ad confirmationem, & præſentiam Priorum.

## *Acceptationes.*

ACceptamus Magiſterium Reuerẽdiſsimi P. Fr. Ioannis Martinez Caliſicatoris ſupremę Inquiſitionis, à confeſsionibus Sereniſsimi Hiſpaniarum Principis.

 Item

Item acceptamus Præſentaturam R. P. Fr. Ioannis de Eſcudero Lectoris Theologiæ ſancti Thomæ Abulenſis, & Præſentaturam R. P. Fr. Hieronymi de Vlloa Rectoris Collegij ſancti Thomæ Complutenſis, & R. P. Fr. Blaſi de Aguiar Lectoris Theologiæ ſanctæ Mariæ de Atocha; & R. P. Fr. Ioſeph Perez Lectoris Theologiæ ſancti Petri Martiris Toletani. Item acceptamus Præſentaturas titulo prædicationis R. P. Fr. Marceli de Madrigal Prioris Placentini; & R. P. Fr. Franciſci Contonente Prioris Incarnationis de Truxillo.

## *Expoſitiones.*

EXponimus ad legendas ſententias pro forma & gradu Magiſterij incluſiue R. P. Fr. Petrum Yañez, moderatorem primariæ cathedræ ſancti Thomæ in academia Complutenſi, & Regentem Collegij ſancti Thomæ eiuſdem oppidi.

Item exponimus ad legendas ſententias pro forma, & gradu Magiſterij excluſiue R. P. Fr. Ioannem Iuliam Priorem Conuentus ſancti Stephani Salmanticenſis, & R. P. Fr. Petrum Godoi moderatorem cathedræ Primariæ in academia Salmanticenſi. Item exponimus ad legendas ſententias pro forma, & gradu Magiſterij excluſiue ſub titulo prædicationis, R. P. Fr. Antonium de Torres Prædicatorē ſancti Thomæ de Madrid.

Acceptamus Prædicaturam generalem R. P. Fr. Ioannis de Arzeo ex Conuentu de ſan Pablo de Valladolid pro eodem Conuentu.

## *Creationes.*

CReamus in Prædicatores generales R. P. Fr. Antonium de Salazar Prędicatorem ſancti Dominici de Benauente pro Conuentu de Merida, R. P. Fr. Gaſparum de Antequera, Prædicatorem Conuẽtus ſancti Petri Martiris de Rioſeco, pro Conuentu de Palentia. R. P. Fr. Martinum Michel Prædicatorẽ ſancti Dominici de Ocaña, pro Conuentu de Salamanca, R. P. Fr. Ioannem Blazquez Prædicatorem ſancti Pauli Conchenſis, pro Conuentu de Nieua, R. P. Fr. Ioannem de ſancto Thoma Prædicatorem Conuentus ſancti Illefonſi Taurenſis, pro Conuentu de Toledo, R. P. Fr. Iacinthum de Beluis Prædicatorem ſancti Thomæ Regalis Abulenſis, pro Conuentu de Segouia.

Reuocamus omnes diſpenſationes, & licẽtias huc vſque datas quomodocumque ſint conceſſæ.

## *Præcepta communia ad ſingulas perſonas.*

MAndamus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obediẽtiæ, & ſub præcepto formali omnibus, & ſingulis fratribus huius noſtræ Prouintiæ ſex ſequentia.

*Præceptũ de non ingrediendo cellas.*

Primum: ne duo, vel plures fratres Ordinis noſtri coexiſtant ſimul in aliqua cella fratrũ huius noſtræ Prouintiæ, excipimus cellas Priorum, & Magiſtro-

ſtrorum Nouitiorum pro ſibi ſubditis. Licebit autē ingredi cellas Magiſtrorum huius Prouintiæ, & eorum qui Prouincialatus officio functi fueriut. Suppriorum autem cellas ingrediantut fratres, ſecundū quod Prioribus viſſum fuerit; denūtiantes quod cellæ fratrū poſt notificationem aſsignationuum quā diu in Conuentu cōmorantur, eodem prorſus præcepto tenentur quo cellæ aliorum conuentualium; & ſimul declaramus quod ſi illæ cuius cellam aliqui fratrum ingredi poſſunt ab ea abſens fuerit, illā pro tūc nō gaudere tali priuilegio, vel licentia. Poterunt autem Patres Priores, ſeu Præſidentes Conuentuum diſpenſare cum ſibi ſubditis, dum modo diſpenſatio non ſit generalis, vel frequens. Diſpenſatio autem de ingrediendo cellas poſt vltimum ſignum poſt cōpletorium nullo modo fiat ſine ſufficienti cauſa, & pro qualibet vice. Et idem dicimus de hora duodecima vſque ae primam poſt meridiem quando pulſatur ad ſilentium. Ab hoc autem præcepto non exciPiuntur cellæ Conuentuales cum contigerit in eis aliquem fratrem infirmari, niſi â Priore, ſeu Præſidente Conuentus eſſe cellam infirmi declaretur.

Reuocamus omnes licentias datas ingrediendi cellas.

*Præceptū de non ingrediendo curiam Regiam.*

Secundo, ſub eodem præcepto formali mandamus, ne quis curiam Regiā ingrediatur nec eius ſuburbana, etiam cauſa ſuſcipiendi ſacros ordines, nec illic per noctet. Et quando ingreſus fuerit præſentet ſe Priori, ſeu Præſidenti Hoſpitum illius curiæ. Et ſub eodem præcepto teneatur cauſas illi manifeſtare ſui ingreſſus in illa curia. Declarantes ōmnes hoſpites cuiuſcumque cōditionis ſint ad ipſum Priorem, ſeu

ſeu Præſidentem dicti hoſpitij pertinere, etiam quo ad correctionem, & punitionem.

Tertiò, ſub eodem formali præcepto mandamus, nequis audeat monaſteria Monialium, nec Beatarum nec aliarum mulierum in vnum congregatarum ſub obedientia viuentium, nec ad eius Eccleſias ad colloquendum cum prædictis, niſi de licentia Prioris pro qualibet vice, quæ licentia in alium diem translata non valeat, nec poſsit dari á Supprioribus, nec Vicarijs Prioribus in loco exiſtentibus.

*Præceptũ de non adeundo monaſteria Monialiũ.*

Quarto, ſub eodem præcepto formali mandamus ne quis fratrum noſtræ Prouintiæ agat, nec tractet, verbo, aut ſcripto, nec per ſe, nec per tertiam perſonam de electione Prouintialis futuri donec notificẽtur literæ cõuocatoriæ, nec frater aliquis huius Prouintiæ poſsit verbo, aut ſcripto, nec per ſe, nec per aliam perſonam tractare, nec ſe intromittere in electione Prioris alterius Conuentus.

*Præceptũ de non tractando de electione Prouintialium, aut Priorum.*

Quinto, propter maxima in conuenientia, quæ inde ſequuntur ſub eodem præcepto formali mandamus, necnon ſub pœna ex communicationis maioris latæ ſententiæ hac vna pro trina canonica admonitione præmiſſa ipſo facto incurrenda, omnibus & & ſingulis tam viris, quam fœminis etiam tertij ordinis, noſtræ obedientiæ ſubiectis, ne ſcribant per ſe, vel per tertiam perſonam quaſcumque literas, ſiue memorialia, vel cuiuſcumque alterius rationis quo modolibet nominentur, ſiue ad ſuos Prælatos, ſiue ad ſubditos, ſiue ad Eccleſiaſticam, ſiue ad ſecularem perſonam, virum, vel fœminam ſine veri, ac proprij nominis, & cognominis quo communiter vti, ac nominari ſolent, nel quouis alio modo remittant; tenean-

*Præceptũ de non mittendo literas, ſine ſubſcriptione proprij nominis, & cognominis.*

neanturque ſub eadem pœna loci appoſitionem ſcribere.

*Præceptũ de non vi dendo comedias.* Sexto ſub eodem præcepto formali mandamus, ne quis repræſentationibus ſiue comedijs interſit, niſi in capitulis Eccleſiarum, & in domibus Epiſcoporum, vel publicis ſanctorum ſolemnitatibus quæ à populo fiunt. Et quod Prælati, ſeu Præſidentes Conuentuum comedias in domibus noſtris fieri non permittant etiam ſponte oblatas, & quod fratres, vel ſorores eas non repræſentent, & nullo modo vtantur veſtibus ſæcularium.

## *Præcepta particularia ad ſpeciales perſonas.*

PRæcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali tria ſequentia. Primum quod fratres depoſitati in hac Prouintia, ſiue in aliquo Conuentu (ſiue ſint ex noſtra, ſiue ex aliena Prouintia) teneantur ad omnia præcepta Prouintiæ, & Conuentuum in quibus ſunt depoſitati, & pro illis teneantur tot Miſſas dicere ſicut cæteri aſsignati, & hebdomadam facere, & omnia officia exercere ac ſi eſſent aſsignati. *Fratres depoſitati aliquid teneantur præcepto.*

*Præceptũ de reformatione ſtudiorũ,* Secundum ſub eodem præcepto formali mandamus omnibus fratribus Conuẽtuum ſtudiorum, ad quos quomodolibet pertinet ſtudium, vt nullo modo omittantur concluſiones, aut conferentiæ in diebus lectiuis, nec hora conſueta earum mutetur, nec in illis dentur recreationes pręter quam in vigilia actus maioris, & alia die poſt illum duntaxat, in octauis

uis Natiuitatis Chriſti Domini, Reſurrectionis, Penthecoſtes, & octauo die ſolemnitatis Corporis Chriſti, in recreationibus octo dierum cōſuetis ante Aduentum, & Quadrageſsimam, aut ſi forte occurrat hora concluſionis, aut conferentiæ ſpecialis occupatio pro toto Conuentu. Et nomine dierum lectiuorum intelligimus illos dies in quibus PP. Lectores non tenentur (iuxta diſponendum inferius) matutinis intereſſe, & qui â populo ex præcepto ſeruatur. Quod ſi aliqua die ab exercitio ſtudiorum non vacauerint fratres, poterunt PP. Priores ſeu Conuentuum Præſidentes in ſtudiorum exercicijs (concluſione, & conferentijs ſcilicet) cum eis diſpenſare feria quinta prædictæ hebdomadæ.

Tertium, ſub eodem præcepto mandamus quod omnia, & ſingula quę in peculiaribus viſitationibus Conuentuum tan fratrum, quam ſororum præcepta ſunt ſub præcepto formali, ſub præcepto obſeruentur, & diſtricte iniungimus, quod omnia, & ſingula quæ ordinatur in prædictis viſitationibus inuiolabiliter obſeruentur.

## *Ordinationes.*

*Quomodo diſtribuātur bona defunctorum.*

ORdinamus, quod & alias præceptum fuit vt bona fratrum defunctorum, ante eorum diſtributionem, a Priore, ſeu Præſidente, & duobus depoſitarijs, vel ex grauioribus Patribus, fideliter in ſcriptis memorentur omnia, & ſingula (vna tantum excepta veſte) & ennumerata in tres æquales partes diuidantur quarum vna integra ſit pro anima defuncti



cuius

cuius diſpoſitio, per partes æquales ad eos Conuentus ſpectabit ad quos pertinebat defunctus, ſiue ratione aſsignationis, ſiue ratione, filiationis, ſiue Prioratus, Prior vero Conuentus vbi frater defunctus eſt nullo modo diſponat, de parte quæ remanet alterius Conuentus, ſed debet illam conſeruare in propria ſpecie vſque dum ad ſit notitia, & diſpoſitio Prioris illius Conuentus ad quem pertinet illa pars.

*De nō pernoctando, extra Conuentum.*

Item ordinamus, & mandamus ſub pœna quindecim dierum in pane, & aqua( quam pœnam teneatur infligere Prælatus, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ) ne vllus per noctet extra Conuentum in locis vbi Conuentum habemus.

*Qui debeant eligi in Priores.*

Item ordinamus, & præcipimus ne prior alicuius Conuentus eligi poſsit in Priorem alterius Conuentus ante biennium ſui Prioratus, & quod Supprio-res, & Lectores non eligantur in Priores ſuorum Cōuentuum, & quod quando aliquis Prior eligitur in Priorem alterius Conuentus non poſsit ſuccedere ei Prior Conuentus ad quem eligitur.

*De licentijs itinerādi.*

Item ordinamus, & præcipimus omnibus Prioribus, ſeu Præſidentibus Conuentuum, ſub pœna abſolutionis â ſuis officijs ne concedant licentias fratribus itenerandi extra ſpatium quatuordecim leucarum, nec licentiam datam â R. A. P. N. Prouintiali prolongare poſsint. Nec detur licentia de conſilio Patrum, niſi ob vrgentem cauſam, & quando eſt difficilis recurſus ad R. A. P. N. Prouintialem quē obſecramus vt valde difficilis ſit in concedendis licentijs fratribus ſtudentibus extra Conuentus exeundi.

Item ordinamus quod Confeſſores, & Procura-

tores monialium dicant tres Miſſas in qualibet ſep-mana pro obligationibus Conuentus quas ſi non ha-buerint celebrent pro intentione R. A. P. N. Prouin-cialis: ſi autem Conuentuũ prædictas obligationes habuerit ad minus omnes Procuratores, & Confeſ-ſores Conuentus Monialium teneantur dicere vnã Miſſam in qualibet ſeprimana pro intentione R. A. P. N. Prouintialis ex his quæ perſonaliter ad eos per-tinẽt quam Miſſam in foro conſcientiæ ex nunc pro tunc in ſolidum aplicamus.

*Cõfeſſores, & Procuratores monialium dicere vnam Miſſã pro intentione R. A. P. N. Prouintialis tenẽtur.*

Item ordinamus ex decreto eminentiſsimi Car-dinalis fr. Hieronymi Xauiere, quondam magiſtri generalis ordinis quod ſocius, R. A. P. N. Prouin-tialis habeat locum inmediatum, vbique poſt Præ-ſentatos huius noſtræ Prouintiæ.

*De loco ſocij.*

Item ordinamus vt in omni quinta feria renoue-tur ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum coram toto Conuentu.

*De renouatione Euchariſtiæ.*

Item ordinamus Supprioribus, vel Vicarijs in ca-pite, electionum, ſub pœna abſolutionis ab officijs vt non aperiant literas R. A. P. N. Prouincialis in quibus proponit eligendos, niſi coram toto conuen-tu.

*Literæ eligendorum vbi ſunt aperiendæ.*

Item ordinamus, & præcipimus Supprioribus, & electionum Præſidentibus ſub pœna abſolutionis â ſuis officijs vt intra ſex dies mittant decretum ele-ctionis ad R. A. P. N. Prouintialem pro confir-matione (non mittendo, ſed alia certa via) & poſquã confirmationem receperint intra ſex dies illam re-mittant ad Priorem confirmatum qui teneatur ac-ceptare officiũ intra octo dies, poſtquam illam quo-modocumque receperit, & intra alios octo dies diſ-

*De mittendo decreto electionis.*

*Priorum diſceſſus.*

 ce-

cedere teneatur á Conuentu quod ſi vtrumque non ſeruetur eius confirmatio ſit irrita, & nullius momenti.

*Licentiæ, inſtitutiones, aſsignationes quãdoſunt notificãdæ*

Item ordinamus vt inſtitutiones, licentiæ, & aſsignationes, quæ intra duos menſes à die conceſsionis notificatæ non fuerint ipſo facto ſint nullæ. Nec notificentur niſi á Priore, vel Præſidente Conuentus, vel de eius licentia niſi quando frater in via aſsignationem receperit. Præcipimus autem Prioribus, ſeu Præſidentibus Conuentuum ne ſint negligentes in notificandis aſsignationibus, ſeu inſtitutionibus fratrum, & vt hoc breuius executioni mandetur teneãtur Priores, ſeu Præſidentes Conuentuum ſtatim, R. A. P. N. Prouintialẽ denotificatione, vel omiſſione aſsignationum, vel inſtitutionum admonere.

*De numero Miſſarum quæ debent recipi.*

Item ordinamus, & in meritum obedientiæ præcipimus ne quis fratrũ pluſquam quinquaginta Miſſarum eleæmoſinas recipiat, & de licentia ſuorum Prælatorum. Priores autem, ſeu Conuentuum Præſidentes pro maiori numero licentias non concedãt niſi vrgenti graui, & religioſa cauſa, & ſolum vſque ad centum. Et quidquid contra hanc ordinationem quis acceperit ex nunc pro tunc applicamus communitati etiam in foro conſcientiæ, & iuxta votum paupertatis.

*De abſtinentia á carnibus.*

Item ordinamus, & Prioribus, ſeu Præſidentibus Conuentuum ſub pœna abſolutionis ab officijs præcipimus, vt nulli eſſus carniumconcedant niſi in die dominica feria tertia, & quinta: aliquibus in refectorio manentibus qui ex commune ordinis cibo reficiantur, in hoſpitio autem ſilentium inuiolabiliter ſeruetur: in cœna nulla die ſit eſſus carnium, & prædi-

dictis tribus diebus ex cauſa approbata à noſtris con ſtitutionibus, ita taliter quod nulla fixa dies deſignetur. Prioribus autem non fiant conuiuia niſi ex cauſa vrgenti, & cum magna limitatione.

*De eſcrutinio ſemel in anno faciendo.*

Item ordinamus quod cum in noſtris conſtitutionibus capite de nouitijs habeatur. Fratres ſemel in anno teneri ad omnia bona quæ ad vſum habent ſuis Prælatis manifeſtare. Vt prædicta coſtitutio melius obſeruetur mandamus quod Prior ſemel in anno aſſociatus cum duobus Patribus ex grauioribus Conuentus ſcrutinium faciat, & quidquid profanitatis in cællis religioſorum inuenerit auferat applicet ſiui communitati.

*De oratione habēda & Roſario recitando.*

Item ordinamus, vt deinceps nullus frater aut ſoror huius noſtræ Prouinciæ abſit ab oratione quæ infallibiliter habeatur poſt matu inas a die ſanctæ Crucis vſque ad feſtum paſchatis oratio autem poſt nonam habeatur more ſolito. Poſt completorium autem ordinamus, vt in ſingulis diebus loco orationis conſuetæ omnes fratres recitent alta voce, & deuote alternan'o per choros ter iam partem Roſarij ſecundum ordinem myſteriorum; Quam quidem deuotionem Prædicatores in publicis concionibus, & reliqui fratres in priuatis conuerſationibus: pro viribus augere conentur.

*De non diſcurrendo, abſque ſocio.*

Item ordinamus, & ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs PP. Prioribus, ſeu Præſidentibus Conuentuũ mandamus, vt non permittant fratres noſtros abſq; ſocijs diſcurrere.

Obſecramuſque R. A. P. N. Prouintialem, vt hanc ordinationem faciat inuiolabiliter obſeruare.

*De examine confeſſorum.*

Item ordinamus quod fratres ad audiendas confeſsio-

feſsiones, & concionandum exponi non poſsint niſi in ſtudijs generalibus inter quæ vollumus comprehendi Vniuerſitatem Pampilonenſem, & non approbentur niſi ſaltem ad ſit vnus ex Regentibus, & ſolū per trienniū: quo expleto, iterum examinentur: excipimus Lectores artium expoſitos poſtquam inſtituti ſunt, & Lectores caſuum conſcientiæ codē modo, & illos qui per nouem annos licentias, ſeu expoſitiones habuerint, quibus concedimus vt poſt dictos nouem annos decurſos quibus approbatione gauiſi fuerint poſsint ſimpliciter exponi. Obſecramus autem R. A. P. N. Prouintialem, vt difficilis ſit in hac ordinatione diſpenſanda, & iniungimus omnibus patribus Prioribus, vt intra menſem à notitia præſentium, & in principio cuiuſcumque Prioratus intra primum menſem illius licentias omnium confeſſorum ſuorum Conuentuum examinent, ſub pœna abſolutionis ab officijs.

*Magiſtri nouitiorū non notentur ad hebdomadam*

Item ordinamus quod magiſtri nouitiorum non notentur ad hebdomadam, nec illam faciāt, & quod habeant locum immediatum poſt præſentatos huius noſtræ Prouintiæ in domibus in quibus R. A. P. N. Prouintiali, & Prioribus viſum fuerit: nullus autē deinceps fiat magiſter nouitiorum in conſulto, R. A. P. N Prouintiali, qui de conſilio Patrum Religione, & cœlo præſtantium omnes magiſtros nouitiorum a probet aſſumendos. Et ex his omnes, qui dictum officium per ſex annos laudabiliter iuxta iudicium, R. A. P. N. Prouintialis, exercuerint, in perpetuum titulo paternitatis gaudeant, & inſuper obſecramus, R. A. P. N. Prouintialem, vt eos qui idoneæ

huic

huic officio inſeruierint ad graues prælaturas promoueat iuxta merita vniuſcuiuſque in executione officij reperta.

Item ordinamus, quod Suppriores nõ exeant de Conuentibus per oppida Prioribus extra illos exiſtentibus ad illa, quoad vſque priores ad Conuentũ reuertantur.

*Suppriores non poſſint exire de domo Priore foras exiſtente.*

Item ordinamus, ne fiant depoſitarij depoſiti Cõuentus niſi de concilio, & aſſenſu Conuentus in publico capitulo, â quo officio a moueri non poſsint niſi de conſilio Patrum, & ſi contingat Priorem aliquem, ſeu Præſidẽtem aſignare, velle, teneatur manifeſtare prius, R. A. P. N. Prouintiali aſsignãdum ſungi officio depoſitarij talis Conuentus.

*De depoſitarijs faciẽdis.*

Item ordinamus, & mandamus Prioribus, & præſidentibus Conuentuum, ſub pœna abſolutionis â ſuis officijs infalibiliter infligenda, vt librum procuratoris, ſeu communium expenſarum Conuentuũ apud ſe non retineant, aut in eo conſcribant manu-propria per ſe ipſos officium procuratoris exercentes, ſed alijs committant: ratiocinia non fatiant, niſi coram depoſitarijs, vel alijs duobus fratribus in eorũ abſentia.

*Priores nõ habeant librum procurationis nec propia manu in eo aliquid ſcribant.*

Item ordinamus omnibus noſtræ Prouintiæ Lectoribus, & Prædicatoribus, vt in maioribus Eccleſiæ ſolemnitatibus in omnibus feſtis ſanctæ Mariæ Virg. Sanct. Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & omnium ſanctorum noſtri Ordinis, quatuorque Eccleſiæ Doctorũ Matutinis, vtriſque veſperis, Miſſæ maiori omnino interſint, ſicuti etiam officio defunctorum, & eorum proceſsionibus.

*Lectoris, & predicatores quãdo debent inter eſſe matutinis, & veſperis, &c.*

Item ordinamus, quod deinceps ſemper celebretur

*Quo dieſacienda ſit memoria imaginis Soriani.*

tur commemoratio imaginis Soriani Dominica in-fra octauas ſanctiſsimi P. N. Dominici, & in illo die habeatur Contio ad populum de eius delatione ad Sorianum.

*Dominica infra octauas ſanctorum ordinis habeatur Cōtio.*

Item ordinamus, quod in præcipuis Conuētibus habeatur Contio de ſanctis N. Ordinis Dominica immediate ſequēti quando in Dominica ipſa feſtiuitas ſancti non venerit.

*De examine ſtudentium.*

Item ordinamus Prioribus Conuentuum in quibus ſunt ſtudia, ſimulque Lectoribus ſtrictæ præcipimus, ſub pœna priuationis lecturæ, vt bis in quolibet anno, ſemel, ſcilicet, in initio quadrageſsimæ; iterum in principio curſus ſequētis ſtudentes examinent, & negligentes ſebere puniant: in ſecundo verô examine mature conſiderent ſtudentium ſufficientiam, & de Prioris, & Lectorum conſilio licentiam habeant aliam facultatem audiendi, ſi in antecedenti ſufficienter inſtructi fuerint, alias illam repetant de quo fiat publicum ſcrutinium Lectorum ſubſcriptionibus munitum quod R. A. P. N. Prouintiali mittatur.

*Cathedratici Vniuerſitatum gaudeant priuilegijs*

Item ordinamus, quod Cathedratici Artium, & Sacræ Theologiæ vniuerſitatuum gaudeant omnibus priuilegijs, & exemptionibus, quibus Lectores noſtræ Prouintiæ gaudere ſolent.

*Fratres alienæ Prouintiæ tantum ſint depoſitati.*

Item ordinamus, vt nullus frater alienæ Prouintiæ ſtudiorum cauſa ad noſtram veniens aſsignetur â R. A. P. N. Prouintiali, in noſtris Conuentibus, ſed tantum in illis depoſitatus permanebit. Vnde tenore præſentium ex nunc pro tunc reuocamus omnes prædictos fratres cuiuſcumque ſint Prouintiæ ab huius noſtræ quibuſcumque Conuentibus in quibus

ſunt aſsignati: interdum verò dum ſtudijs vacant, ex nunc pro tũc tenore præſentium illos depoſitamus in prædictis Conuentibus in quibus, vſque modo erant aſsignati, qui omnino obſeruabunt leges depoſitatorum in his actis ſuperius ſancitas.

*Qui ſint Regentes ſtudiorũ.*

Item ordinamus. & declaramus, quod Patres Magiſtri huius Prouintiæ ſint Regentes ſtudiorum, & vbi plures ſunt Magiſtri antiquior eorum erit Regens, ipſo tamen abſente â gymnaſio, magiſter qui ſuccedit erit Regens, & ſic omnes Magiſtri ſucceſsiue, iuxta antiquitatem ſuorum graduum.

*De Lectoribus Theologiæ.*

